

Universitätsbibliothek Paderborn

Tora nevi'im u-ketuvim

Leusden, Johannes

Amstelodami, 1667

Judicium Jacobi Altingi Pridem Linguæ Hebr. & jam S. Theol. Profes. in
Academiâ Groninganâ, De Novâ hâc Editione Bibliorum Hebraïcorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39406



Judicium Jacobi Altingi

Pridem LINGUÆ HEBR. & jam S. THEOL. PROFES.
in Academiâ Groninganâ,

De Novâ hâc Editione Bibliorum Hebraïcorum.

Lectori pio S.

PRUDIT NUNC altera Editio Bibliorum Hebraeo-
rum, Viri industrii JOSEPHI ATHIAS stu-
dio ac sumtu adornata. Idem ante sexennium
vulgavit exemplar, quo sategit alia antiquiora
vincere. Verum isto, quod jam dat, semetipsum
superare allaboravit. Ut nihil dicam de argumentis rerum vel ser-
monum Latinè margini adscriptis ; quod novum plane
sed utilissimum est institutum : longe accuratius quam ante ad
voces literasque omnes attendit, ne quid ex isto genere redunda-
ret, ne quid deforet, ne quid situm ordinemve desereret. Præ-
stítit similiter magnam diligentiam circa vocalium accentuumque
notas, ut propriæ cuique dictioni ac syllabæ tribuerentur. Reli-
giose secutus est codices quosdam MSS. canæ antiquitatis, nec
non Masoram & Davidem Kimchium similia tractantes. Deni-
que id operam dedit, ut non solum commodo aliorum, sed secu-
ritati quoque consuleret, & suppeditaret universis codicem in
quo præ cæteris possent acquiescere. Hac de causa multitudinem
adhibuit Correctorum ac Censorum, qui testes forent bonæ suæ
fidei, deque eâ apud alios etiam præcones & sponsores. Post-
quam vero aliquousque processerat, speciminis ergo aliquot pri-
mùm folia ad me quoque destinare dignatus est, mox submisit
universa, ut pariter censuram instituerem, diceremque senten-
tiā. Atque illa quidem mihi lecta & examinata sunt, ista non
item

item, quod gravioribus dstringeret negotiis. Cum tamen sacer manipulus universæ segetis, unde demessus fuit, referat indolem; & quod diverbio dicitur, ex ungue leonem noscere liceat, illa ipsa folia implerunt me spe, imo fiduciâ, totum opus cum pulchritudinis, tum integratatis, quanta quidem hominibus humanisque congruit, ornamenta possidere, ac Editoris famam & nomen *Bombergiis, Plantinis, Stephanis*, & quicunque Hebræa Biblia accurate & eleganter expressissime laudantur, meritò esse annumerandum, ut pari gloriâ ad posteritatem memoria ipsius transmittatur. Ne quis autem vanitatis meam damnet fiduciam, hujus Editionis non modo usum commendabo, sed etiam collationem cum prioribus aliis vel emendatissimis. Videbit enim quod dixi, quisquis oculo, censorio licet, perlustraverit, & cuius suspectam forte habuit credulitatem, novus suffragator confirmabit testimonium: pariterque tecum & Editorem prædicabit, & Editionem: atque ut haec à plurimis expertatur, feliciterque usurpetur; ille verò fructu laboris sui latus fruatur, quantum in se est, optabit, efficiet.

Scripsi Groningæ Frisiorum

d. 2. Maii. 1667.

Jacobus Alting.

JUDICIUM CHRISTIANI SCHOTANI

S. Theologiae Professoris in Academiâ Franekerâ Frisiorum,

De nova hac editione Bibliorum Hebraicorum.

L. P. S.

VIDI, suppedante amico, editionem recentem Veteris Testamenti Hebraicj, quæ Amstelodami ex officina Josephi Athiae, hominis Judæi, obstetricatione & cura viri doctissimi & diligentissimi D. Johannis Leufden nunc prodit. Mirifice me afficiebat elegantia, cura, diligentia. Vincit enim omnium, quas haec tenus vidimus, editionum *κατά πάτερα*, laudem & industriam. Formæ literarum grandes, nitidæ, ductibus & apicibus suis accuratissimæ & expeditissimæ. Tum vero signorum enuntiationis & accentuum, ad analogiam sermonis & *ζειματισμῶν*, pene superstitiosa & nimia observatio, si quid hic nimium esse possit. Si Magister diligitissimi, qui unquam in seculo fuere, reviviscerent, dicerent voto suo satisfactum esse, nec usquam a scitis suis & lingue genio aberratum. Editionem prodiisse, quæ desideriæ summam æquaret. Felices tyrones hujus linguae studiosi; hic nihil inversum, nihil distortum, nihil quod offendere possit aut perturbare. Quanta diligentissimi cura fuerit, vel id solum indicet, quod breve hic nusquam adiectio punctis cum rapto confundatur. Quam observationem suam Magnus Drusius, si in vivis esset, miraretur, tam diligenter teneri potuisse, præter omnium editionum consuetudinem. Laude sua & encomijs nolim fraudari optimas editiones, veteres & recentes, sed non ferent ægre Venetie nec Antverpia nec Basilea suam industriam & *τυπογραφίαν* hac Amstelodamensi editione superatam esse. Immortales gratia & Typographo & editionis patrì ac procuratori debentur ab omnibus qui hunc sermonem & verbum Dei amant.

CHRISTIANUS SCHOTANUS.